



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 70. Per quos defectus tenentes se potius ex parte animæ supervenientes solvantur sponsalia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

2. Resp. secundò: Quamvis idem censeant ex eadem ratione Gasp. Hurtad. l. 2. de *marim. diff. cult.* 17. n. 62. & alii quidam, quibus favent Sanch. l. 1. d. 68. n. 7. pro exemplo adducens morbum Gallicum, & l. 6. d. 27. q. 2. loquens generaliter de impedimentis omnibus, dum impedimentum est tale, quod non tantùm reddat nuptias minùs commodas, sed positivè incommodas & damnosas; qualia V. G. sunt paralytis, lepra, morbus gallicus, aliusque contagiosus, mores perditii absque animo corrigendi, infamia ex genere vel delicto, quæ honestam familiam deturpare possit; cum hæc vel generationem impediunt, vel à sociali vita avertant & honestæ prolis educationi officiant. Rectius tamen id ipsum (nisi forte pars altera eodem defectu laboraret) negat Castrop. l. c. n. 5. & quos citat Turrian. 2. d. 78. du. 2. Pont. cit. c. 18. num. 6. Cón. & c. eò quòd tali defectu laborans non sit aptus usui matrimonii, ad quem expetitur, adeoque peccet contra justitiam, non secus ac vendens ligna putrida putanti esse sana. Unde jam à fortiore sequitur, laborantem tali defectu non posse alteram partem illius insciam compellere ad contrahendum secum matrimonium. Idemque esse in casibus, in quibus tacito impedimento adhuc potest contrahere Sponsalia, eaque perficere, docet Pont. n. 7. censentque probabile Cón. & Sanch. LL. cit. eò quòd revera à parte rei, etiam dum ei cognitus non est defectus, jus habeat dñnum proprium evitandi & resiliendi, & si id faciat, non committat injustitiam, saltem materialem (etsi putet se eam committere, dum incognito sibi tali defectu, adeoque ex nulla causa rationali resilit,) & consequenter compelli nequeat ad matrimonium contrahendum. Contrarium tamen tenent, sive posse in his casibus compelli alteram partem, Castrop. n. 8. Sanch. l. 1. de *Sponsal.* d. 68. num. 8. Cóninck cit. du. 12. concl. 4. & 5. eò quòd defectus talis, sive antecedens, sive subsequens Sponsalia, eorum valorem non impediunt, quo valore stante jus habet compellendi partem ad standum promissis, & ea, ne jus hoc sit inutile, teneatur obedire; & compars, posito illo defectu, jus non habeat virandi dñnum & resiliendi, nisi media exceptione & defectus illius objectione; jam verò objicere illum, & propterea exigere nequit, quia eum ignorat, & pari modo Sponsalia contracta sub ea conditione: nisi quid eveniat, quod contractum hunc reddat difficiliorem: non possunt solvi quomodocunque, sed solùm per illius eventus exceptionem & objectionem. Illud verò, quod in contrarium objicitur ex sententia probabili, occultè adulterum, adeoque etiam non objecto sibi adulterio, non posse à parte innocente exigere debitum, negant æquè probabiliter, & fortè probabilius. Castrop. num. 9. Sanch. cit. d. 68. num. 4. eò quòd hæc pœna non petendi debitum non incuratur ante condemnationem Judicis, & antequam à comparte clarè & ex indicis non levibus objiciatur.

Quæst. 69. Qualiter in specie dissolvantur Sponsalia ob supervenientem defectum corporis.

1. R Esp. primò: Dissolvuntur etiam jurata ex parte illæsi ob supervenientem notabilem fœditatem, c. *quemadmodum*, de *jurejur.* ubi exprimitur, qualis deformitas sufficiat, nempe si unus ex Sponsis oculos, nares, aures amittat, vel aliud his turpius ei obveniat, &

licet is textus videatur exigere utriusque oculi amissionem, utpote loquens in numero plurali; sufficere tamen amissionem unius oculi; cum hæc censeatur sufficiens & deformitas satis gravis mutatioque rerum, affirmant Castrop. pag. 27. num. 1. Sanch. d. 27. num. 3. Pont. l. c. c. 17. num. 4. Cóninck. d. 23. du. 8. n. 66. & c. Quin etiam dum citra amissionem dictorum membrorum Sponsa tempore Sponsalium pulcherrima postmodum fieret notabiliter deformis, adhuc Sponsum posse resilire, censent Sanch. num. 4. Castrop. num. 5. Pont. num. 5. Cón. cit. num. 66. contra Covar. in 4. decret. p. 1. c. 5. num. 6. Gutt. de *mat.* c. 32. n. ult. eò quòd cum res per hoc adhuc sint notabiliter mutata, præsumi nequeat, priorem intentionem ad hunc casum extensum fuisse; quodque, dum Sponsa (idem est de Sponso, ut expressè Castrop. quavis, ut Idem major hujus debeat esse deformitas, ut det sufficientem causam resiliendi, nempe quæ horrorem causet) post Sponsalia effecta notabiliter deformior, non possit amplius placere, aut etiam notabiliter displiceat, apta non sit tollere à Sponso occasionem fornicandi, aliæque infelices eventus ex tali matrimonio timeri possint prudenter; adeoque jam etiam ratio sic decidendi in cit. textu c. *quemadmodum*; hanc deformitatem comprehendat, etsi aliam non exprimat, quàm quæ oritur ex defectu membrorum; aut quæ illa major est. Porò quænam sit notabilis deformitas sufficiens ad solvendum Sponsalia, decidendum est Judicis arbitrio; neque enim quilibet defectus pulchritudinis censendus est talis, sed ille tantùm, qui quemlibet hominem prudentem ejus generis & conditionis à matrimonio absterret. Castrop. num. 5.

2. Resp. secundò: Pari modo solvuntur Sponsalia per supervenientem morbum incurabilem aut contagiosum, V. G. paralytin, epilepsiam, lepram; qui morbi, cum reddant matrimonium difficillimum, nemo præsumi potest contrahendo Sponsalia, intendisse contrahere cum tali matrimonio, Sanch. d. 57. num. 2. Gutt. c. 32. num. 3. Cóninck. cit. du. 8. num. 67. & in specie morbum Gallicum, utpote contagiosum magnum causantem horrorem esse causam sufficientem resiliendi, tradit cum Sanch. l. 1. d. 17. num. 2. Gutt. cit. num. 23. n. 3. Nav. c. 22. num. 27. Castrop. cit. p. 27. num. 3. quin & violentam hujus morbi suspicionem, etsi non plene probetur esse ad hoc causam sufficientem, tradunt Seraph. *decis.* 1113. num. 8. & 9. Riccius *decis.* 232. num. 4. Pont. l. c. apud Castrop. cit. num. 3. Item adhuc sufficit oris graveolentia, dum arte medici curari nequit: quia pro mutua cohobitatione vix suffineri potest, estque indicium cujusdam habitualis morbi interni molestissimi, juxta l. *qui clarum* §. *fin.* ff. de *adilicio edict.* ita Sanch. Pont. Gutt. Ponc. LL. cit. cum Castrop. cit. n. 3.

Quæst. 70. Per quos defectus tenentes se potius ex parte anime supervenientes solvantur Sponsalia.

R Esp. per sequentes: primò, dum quis Sponsorum ratione alicujus gravis delicti infamatur, Castrop. num. 7. Sanch. d. 57. n. 2. secundò, dum Sponsus deprehenditur deditus scortationibus, &

ebriatati

ebrietati aliive simili vitio; quia probrosum est talem ducere, & infelices exitus ex tali matrimonio timeri possunt. Castrop. *l.c. Sanch. d. 63. in fine.* Pont. *l.c. c. 17. n. 6.* Tertio, dum de novo cognoscitur Sponsi fœvitia, & morum asperitas; cum hæc etiam sit sufficiens causa ad divortium. *c. ad litteras de rest. spoliat. Castrop. l.c. Sanch. d. 58. n. 2. Gutt. c. 33. n. 1. Abb. in c. veniens. qui clerici vel vovener. n. 2.* Quarto, dum vitæ graves inimicitia inter Sponfos, solvuntur sponsalia ex utraque parte. Gutt. *n. 2. Sanch. n. 3. Castrop. n. 7.* Quinto, dum unius partis parentes obstinatè contradicunt, unde timeri possit gravis discordia inter Sponsorum parentes & consanguineos, & à fortiore inter ipsos Sponfos. Laym. *l. 5. sum. tr. 10. p. 1. c. 2. n. 18. Cõn. l.c. du. 8. n. 68.* Castrop. *l.c.* qui tamen ex Sanch. *l. 1. d. 14. n. 3.* monet cautè in hac re procedendum, dum læpejactantur variæ minæ, terrores, & discordiarum pericula intentantur, quæ tamen experientiâ teste, ubi impetus deservit, & matrimonium contractum, in nihilum recidunt, & animi facilè conciliantur.

Quæst. 71. An & qualiter ex superveniente fortunarum mutatione solvantur sponsalia.

Resp. primò: Ob defectum dotis promissæ, solvuntur ex parte alicuius sponsalia, eò quòd dotis promissio sit conditio, sub qua sponsalia celebrantur. Laym. *l.c. n. 2. Sanch. d. 59. n. 2. Menoch. de arb. l. 2. cas. 455. n. 6. Castrop. p. 28. n. 1.*

2. Resp. etiam, dum dos promissæ non est, ob supervenientem Sponsæ pauperatam solvuntur sponsalia. Laym. *l.c. n. 18. Pont. l.c. Gutt. c. 33. n. 4. Cuchus Inst. major. tit. 10. n. 17. Sanch. l.c. n. 4.* & alii, quos citat & sequitur Castrop. *n. 3.* contra Covar. *l.c. p. 1. c. 5. n. 5. Malcard. de prob. concl. 577. n. 2.* Siquidem hæc gravis est mutatio, quæ, si à principio fuisset, quemlibet prudentem à matrimonio avertisset; cum in promissione matrimonii maximè attendatur patrimonium contrahentis, ut onera matrimonii sustentari possint. Unde jam etiam deducitur, timorem justum, & probabilem exhereditationis esse causam sufficientem dissolvendi sponsalia, Pont. *n. 8. Seraph. decis. 1258. n. 1. Castrop. l.c. n. 4.*

3. Resp. terriò: Si uterque Sponsorum in paupertatem deveniat, utrique dari causam sufficientem dissolvendi sponsalia; cum apti non sint ad onera matrimonii sustinenda, neque in hoc casu sit compensatio locus. Pont. *Castrop. l.c. cit. citato Reb. l. 4. de oblig. Inst. q. 8. f. 8. n. 70.*

4. Resp. quartò: Si post sponsalia uni Sponsorum obveniant magnæ divitiæ, quas ab initio non cogitavit, altero in suo statu permanente, per hoc non solvuntur sponsalia; cum altera pars per hoc facta non sit deterior; neque obstat, quòd executio Sponsalium illi factò ditiori sit facta durior ex eo, quòd impediatur ab aliis Sponsalibus ditioribus contrahendis; siquidem quòd hac ratione executio sit facta durior, est per accidens, & sanè aliàs, quoties sponsalia offeruntur, minus ditiora solvi possent.

Quæst. 72. An & qualiter sponsalia dissolvenda auctoritate Judicis.

Resp. primò: Stante causâ certâ de Jure (qualis dicitur, dum causa in jure expressa) & de factò (qualis est, dum certum est, causam, quæ allegatur, adesse) solvendi sponsalia, nulla requiritur Judicis auctoritas; cum id nullibi caveatur, & dissolvens utatur jure suo certo. Sanch. *l.c. d. 69. n. 3. Gutt. c. 35. n. 4. Sylv. v. sponsalia. q. 11. Pont.*

l.c. c. 18. in fine Reb. l.c. l. 4. q. 8. f. 9. Castrop. p. 31. n. 1. Secus est, ubi non habetur saltem certitudo moralis, quæ ex fama, testibus, experientiâ habetur, apraque est virum prudentem movere ad judicium, ne dum causa est dubia de jure vel facto, alter privetur auctoritate privata jure suo certo quæsito in re gravi, adeoque ei fiat injuria. Castrop. *l.c. Sanch. n. 8. Gutt. n. 7.* Siquidem quoties est probabile seu prudens judicium; & periculum committendi in alterum injustitiam, jus certum alteri licet tolli non potest, nisi in oppositum sit fundamentum prævalens contra certam ejus possessionem.

2. Resp. Per accidens tamen quandoque, ratione visitandi scandali faciendâ est dicta dissolutio auctoritate Judicis. Sylv. Pont. *Reb. l.c. cit. Gutt. n. 4. Sanch. n. 3. Castrop. n. 1. & 2.* dum nimirum sponsalia sunt publica, causa verò de jure & facto certa est oculata, intellige, ita ut à majore parte vicinæ ignoretur. Quamvis etiam in aliquibus dicæcessibus prudenter statutum universaliter, ut sponsalia publica non nisi interpellato Judice solvantur; tum ut causa dissolutionis accuratius investigetur; tum ut omnis suspicio mali removeatur. Quam consuetudinem dicit Castrop. teste Laym. *in c. 2. h. t. approbati à S. Thom. in 4. dist. 27. q. 2. a. 3.*

Quæst. 73. Quid igitur faciendum, ubi sponsalia publica, & causa certa est secreta; quæ sine diffamatione partis propalari non potest.

Resp. Monere debes partem, & comminari publicationem defectus, eaque non acquiescente, potest defectum occultum deferre ad Judicem; cum delatio illa (intellige, etiam cum facta infamatione partis alterius in judicio) sit juris tui defensio. Castrop. *n. 4. Laym. l.c. p. 2. n. 12. Pont. l.c. n. 8. Sanch. l. 1. d. 70. n. 2.* Quòd si etiam defectus, v.g. crimen ita occultum est, ut nemini alteri notum sit, vel esto, alteri sit notum, is tamen nolit testari (ad quòd tenetur; ut jus, quod habes resiliendi, obtineas. Sanch. Castrop. *l.c. cit. Cõnink. d. 23. du. 11. nu. 93.*) Jaceo que in judicio probari nequit, potius propriâ auctoritate dissolvere potes sponsalia publica (intellige, etiam non attento periculo scandali, quòd fortè per accidens inde eventurum timeretur) quia jam cessat obligatio interpellandi Judicem; cum sit frustranea ob defectum probationis, quia & tibi perniciosa esse posset, dum ob defectum probationis cogi posses stare sponsalibus, quibus non teneris. Laym. *l.c. c. 2. n. 12. Sanch. l.c. n. 7. Castrop. l.c.* Ac demum, si à Judice in hoc casu compellaris ad standum sponsalibus; cum hæc compulsio in re sit justa, falsæque præsumptioni innitatur in foro conscientia te obligatum non esse parere, sed mediis omnibus te subterfugere posse mandatum, ait Castrop. *Porrò in causa dissolutionis sponsalium Judicem esse ecclesiasticum ordinarium, vel delegatum, non tamen Parochum, utpote qui in foro externo jurisdictionem non habet, ait Castrop. n. 4. in fine. cum Sanch. l.c. n. 10. Gutt. c. 35. in fine.*

Quæst. 74. Qualis probatio requiratur, ut Judex Ecclesiasticus dissolutionem sponsalium concedat, ubi nimirum ejus auctoritas ad hanc dissolutionem requiritur.

Resp. primò: Dum uterque contrahentium testatur adesse causam dissolvendi sponsalia, re-
 cè, & facilè sine magna inquisitione ulteriore Judex pronunciare poterit pro dissolutione, eò quòd
 licet